Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

De ipso quod mens humana aliquid capere potest, ipsum non potest. Et lingua humana de ipso aliquid dicere potest, ipsum non potest. Nec tamen ideo falsum estimandum est quod de ipso dicitur, quoniam de ipso tantum est, et non ipse quod dicitur; neque vanum quod de ipso cogitatur, quoniam de ipso tamen est, et non ipse hoc quod cogitatur, quoniam verum dicitur et veritas cogitatur que sic ducit ad ipsum, qui vis sublimis et excelsus consistat in ipso. Sequitur. Si igitur negationes (id est depulsiones) in divinis vere, affirmationes (vel intentiones) vero incompacte, obscuritati archanorum magis apta est per dissimiles formationes manifestatio. Ac si dicat. Quia expressius et magis proprie deum non esse quecumque esse dicimus, cum esse aliquid, et non esse veraciter dicamus, manifestum est in divinis, id est in his que de deo dicuntur, vel deo attribuuntur, negationes veras esse, id est proprias, affirmationes incompactas, id est improprias et non coherentes, quoniam dissimilia iungere vel coaptare conantur secundum illum modum dicendi, quo de deo formari non potest aliter humana locutio. Sicut autem negationes in divinis vere sunt, id est proprie, affirmationes incompacte, id est improprie, manifestum est quoniam obscuritati archanorum revelandorum magis apta est manifestatio scilicet per dissimiles formationes quam per similes, quoniam illa removendo quasi per negationem quid non sit deus demonstrare nititur, ista vero ponendo quasi per affirmationem quid sit ostendere conatur. Et non itaque non turpes replent celestes ornatus eloquiorum sacre descriptiones dissimilibus eos formarum facturis manifestantes, et per has ostendentes materialibus simul omnibus supermundalium excellentias. Et non itaque quandoquidem dissimiles figurationes in divinis magis proprie constant secundum eum modum quo de deo ex omnibus que sunt nichil proprie nominatur, secundum hunc itaque modum non replent, id est non repletos asserunt celestes ornatus, id est celestes ordines vel dispositiones ipse turpes, id est deformes que in sacro eloquio